



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 15. Geofridus Vindocinensis Papam arguit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Sæcul. XII.
A.C. 1112.

mitati aliquid dandum agendum est nobis, quod tempestate jactati solent, cum mercium partem projiciunt, ut reliqua servant. Ita Charitas infirmis infirma & omnibus omnia fit. Privati Pastorum suorum facta non damnent, si illi, salva fide & morum puritate, humani aliquid patiantur, vel ad conservandam ovium suarum vitam in errorem rapiantur.

§. XV.

Geofridus Vindocinensis Papam arguit.

At turbulentioris ingenii fuit Geofridus Abbas Vindocinensis, qui de causa Investituræ Paschali Papæ scripsit in hunc modum: Si Papa, in Catbedra SS. Apostolorum sedens, se factis contrariis beatorum ipsorum sorte privavit, ipse primus ea emendet, & tanquam alter Petrus flendo delet. Si mortis metu peccavit, non ideo habet, quo erratum excuset, potius enim mori debebat, & sic ad immortalitatem eluctari. Si obtendit, non propria, sed filiorum suorum mortis timore ad lapsum se fuisse impulsus, vana est excusatio, cum eos non modo non servaverit, sed etiam eorum Saluti impedimentum posuerit. Nullum enim Sanctorum Virorum exemplum suppetit, quod nos mortem, proximo nostro utilem, nosque ipsos recta & per compendium ad gaudia aterna deducentem

i. ep. 7. p. 13.

centem, fugere doceat. Cum S. Paulus Sæcul. XII.
 mori aliquamdiu distulit, non tamen fidem A.C. 1112.
 læsit, nec veritatem prodidit. Non ergo
 Iustitiæ aut misericordiæ amore, sed Dæ-
 monis suggestione morti erepti sunt homi-
 nes, qui cum mortales sint, eam diu effu-
 gere non valebunt, & illico ad Cælestem
 vitam, ingenti totius Ecclesiæ emolumen-
 to, pervenire potuissent. Etsi vero tanta
 fuisset eorum ignavia, ut a paradisi porta,
 deserta veritate, recessissent, tibi incum-
 bebat, tuo hortatu & exemplo vacillantes
 confirmare, tuum erat, pro bona causa,
 primum omnium mortem sustinere. Quia
 autem hæc culpa nulla excusatione digna
 est, sine cunctatione eam tolli oportet, ne
 Ecclesia, quæ jam jam expiratura vide-
 tur, penitus extinguatur. Affirmat et-
 iam Geofridus, Investituram juxta tradi-
 tionem Patrum Hæresim esse, illumque
 qui eam sua auctoritate fulcit, Hæreticis
 adnumerari debere. Tum subjungit:
 Atqui tolerari potest Pastor, si malis mo-
 ribus sit, ne utique vero si in Fide erret;
 tunc enim Fidelium minimo, peccatori pu-
 blico, aut cuicumque seeleribus infami, in
 Episcopum Hæreticum seditioso esse licet.

§. XVI.

Legati Alexii Imperatoris Romæ.

Inter hæc cum ad notitiam Alexii Im- Chron. Cass.
 peratoris Constantinopolitani delata IV. c. 46.
 Hist. Eccles. Tom. XVI. R fuis